

teat: ac frequentissimè, cum id quòd medium est, utrumque possit trahi, ut de Troilo  
Virgilius, i. Aeneid.

Lora tenens tamen —

Hic utrùm quòd teneat tamen lora, an quamvis teneat, tamen trahatur, queri  
potest. Unde controversia illa; Testamento quidam ponijussit statuam auream ba-  
stam tenentem. Quæritur, statua bastam tenens aurea esse debeat, an basta esse  
aurea in statu alterius materiæ. Præter hæc etiam Amphibolia ex orationis  
sensu nimis latô, & non satis determinatô nascitur, quemadmodum in Ora-  
culô, quod opulentissimo Asiac Regi editum refert Herodotus lib. 2.

*Kρότος Αλι μεταξὺ μεγάλην αρχὴν καταλύου. hoc est,*

*Cræsus, Halym penetrans, magnam pervertet opum vim.*

Quòd deceptus Hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam,  
ut habet Cicero lib. 2. de Divinat. Huic non absimile est illud Fabii loco sxe-  
pius laudatô. Sæpe, utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est:  
*Unde est controversia*, Hæres meus Uxori meæ dare damnâs esto argenti, quod  
elegerit, pondo centum. *Uter eligat, quæritur*. Deinde Amphibolia etiam est,  
cùm tacitè persona una inducit loquens, vel plures colloquentes; dubium  
enim sæpe est, num ipse Autor, an persona, aut quænam personarum sermo-  
nem habeat. Hujusmodi Prosopopœiæ seu sermocinationes, & Dialogismi oc-  
currunt in Ecclesiaste & Canticô canticorum; Ut & in Prophetis, & Psalmis,  
ut agnoscit Chamierus Panstrat. Cathol. Tom. 1. lib. 15. cap. 15. §. 27. Nec  
non apud Satyricos. Sic Horatius Satyr. 3. lib. 2. Damasippum ipsum accu-  
santem inducit, quod nihil scriberet, cùm ipse alium accusare videri posset:  
ita enim orditur.

*Sic rarò scribis, ut totô non quater anno  
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens  
Iratus tibi, quod vini, somnique benignus  
Nil dignum sermone canas. &c*

Quibus postea inter se & Damasippum Dialogum annexit, in quô quis loqua-  
tur sæpe ambiguum est. Utrumque etiam, nostrô judiciô, reperitur apud Ju-  
venalem Satyr. 5. in his versibus.

*Vin tu consuetis audax conviva canistris  
Impleri, panisque tui novisse colorem?  
Scilicet hoc fuerat, propter quod sæpe relicta  
Conjuge per montem adversum, gelidasque cucurri  
Esquilias, fremeret sævâ cùm grandine vernus  
Juppiter & multô stillaret penula nimbô?*

Et in illis Satyr. 6.

*Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.*

C 3

*Hære-*